



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

III. Beatam dicunt milites, quia illorum est Robur & Auxilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

missimā potirentur illis se præbuisse Propugnatricem ac Murum, ibi deinde grati-
cives, erexerunt templum Virgini dictum, B. Mariæ del Portillo.

Anno 938. Arabes produxerunt exercitum 150. millia peditum, & equitum
30. millia contra Ramirum 2. Regē Legionis, sed Regi Virgo submisit duos Ange-
los specie militum, quibus pugnantibus Abenain Regulus captus, & 80. millia ho-
stium cecidēre. Testis hujus rei *Sampyrus, & Tudensis, & Morales Chron. Hist. lib. 14.*
Legitur apud *Maraccium in Antistit. Marianis, pag. 359.* Quod cum Poloniam cum
innumero exercitu oppressurus Turca advolaret, Laurentius Gembicki Archiep.
Gneznensis pro patria sua feruenter exorabat, vidit una nocte S. Virginem è cu-
biculo suo prospiciens in aream lunæ decrefcentibus cornibus insistentem, quæ
illum hunc in modum allocuta. Bono sis animo Laurenti, verè mihi est devota,
nominique meo Polonia, Filius meus ea quæ metuis amoliturus est à vobis mala,
nè tuo eveniant sæculo. Exstat in Ecclesia Cathedrali Vladislaviensi monumen-
tum hujus rei: & Præsul mortuus anno 1624. Febr. 10.

9. Beatam dicunt milites, quia illorum est Robur,
& Auxilium.

Habet *Baron. de Joann. Zemisce Imper: Orientis*, qui conspectis viribus
Bulgarorum lachrymas non tenuit, nec vincendo, nec fugiendo par, obtulit se
tandem Divæ Virgini supplicem. Et ecce eques Divinitus comparet (*creditus
fuisse S. Theodorus à B. Virgine submissus*) in Bulgaros ruit, & Joanni victoriā parat.
Refert Strada, referunt & alij recentiores, in Flandria superiore sæculo, Catholi-
cum militem in elementorum, hostiumque insidijs deprehensum, apud Bomeliam
clausum fames consumebat, rigor hyemis exstinguebat, eluviorum incrementa
submergebant, ubique mors & hostis, quid spei? miseris ipsa Mater & spem au-
xilij, & auxilium affert, miles dum aggerem ante contubernium Emplenti templo
adstrum fodit, inter primos iæus tabulam ejicit, videt in ea coloribus expressam
Dei Genitricem, accurritur à commilitonibus, & ipse Tribunus advolat Bobadilla,
instabat Marianæ Conceptionis pervigilium, illam igitur iconem supplicantium
ritu in templum inferunt, atque inter legionum signa collocatam proni adorant,
precantur salutem, & impetrant: ventus enim nocte sequenti adeo vehementis,
ac præter modum gelidus invaluit, ut aquas quæ circum campos obruerant,
solidaverit, undè hostes qui venerant in navigijs ad expugnandos Hispanos, nè
& ipsorum navigia à glacie in campis caperentur, flectere in Mosam cursum
p
sacri,

eoacti, soluta postero die glacie, Hispani magno cymbarum numero cum sua caelari Buscoducum deportati, originem Societati Immaculatè Conceptæ Virginis dederunt. Premuit Holandus Hollachus ereptam sibi è manibus victoriam nullâ Hispanorum virtute, sed sola Dei: nimis eo quidem (ita hæreticus crepabat,) die se Hispanis profuisse beneficio. *Aliud est.* Deprehensi erant Lusitani pauculi ab Angolitanis, quorum erant duodecies centena millia, confugerunt ad Virginem, hæc in aere conspiciendam se hostibus dedit, & exterruit, & victos Lusitanis subiecit. Ita *Benx. anno 1587. in resid. Angolitana.* Sed veluti litus radimus, dum hæc recentiora prosequimur, jam ad antiquiora in altum cum exigua nostrâ cymbula provehamur, reversuri ad littora quoties videbitur.

Quæ sequuntur referunt plurimi, sed potissimum *Tudensis*, & *Marinae*, & adnotant annum fuisse 718. Pelagius I. occupata à Mauris Hispaniâ, creatus Rex ab Hispanis, qui apud Astures confugerunt. Rex novus ad Ausenæ montis speluncam munitam cum mille suorum se recepit: confluerunt mox innumeri Mauri, miserunt ad eum Oppam Archiepiscopum Toletanum, vel ut vult *Marinae* Hispalensem, qui deditionem suaderet. Respondit Rex, confidimus per intercessionem gloriosæ Virginis Genitricis Domini nostri Iesu Christi salvari, & ipsa adjuvante, quæ Mater misericordiarum est, gentem Gothorum de paucis qui sunt in ista spelunca instaurari, sicut ex paucis granis infinitæ segetes germinant. Tum Pelagius, & qui cum illo erant ardentius Virginis opem postulaverunt Mauris autem fundibularijs & sagittarijs portam speluncæ ferire conantibus, eorum lapidibus & sagittis maximâ clade redeuntibus feriebantur, & turbabantur. Excurrens invasit eos Pelagius, Oppam cepit, Maurorum viginti millia cum Aleman eorum Duce interfecit, sexaginta millia quæ remanserunt ex Ausenæ montis fastigio in Libanensem agrum delata, ad Deum fluminis ripam parte montis vicini sponte convulsa ab imò, in subjecti fluminis aquas præcipitata sunt.

Sed rursus ad recentia *Mass.* quod sequitur narrat contigisse anno 1507. Obsiderant Lusitani in Cananora urbe Orientalis Indiæ à barbaris: fame cogebantur ad extrema, confugiunt ad B. Virginem, & ecce die ejus Assumptæ, mare in tantum intumuit, ut portam templi attigerit, & ibi tantam vim locustarum effudit, ut ad quatuor mensium cibum suffecerint, & earum usu ægri convalescerint. Perierat ferè Joan. Commenus Imper. anno 1123. uti *Baron.* ita enim arctè hostes obsederant phalangas Romanas, tum Imperator Dei Genitricis imaginem cum gemitu & miserabilibus gestibus intuens, lachrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat, & statim cælesti robore armatus Scythicam aciem

(si fuerunt hostes) profligat : & hæc origo festi Patzinacharum apud Græcos, isto enim nomine Scythas appellant.

Alphonfus Lusitanæ Rex, invocata S. Virginis ope, urbem Machometanorum munitissimam cum 250. suorum obsedit, cepit nemine suorum desiderato. *Laurent. Cbryfog. in mundo Mariano. disc. 18. n. 34.* Anno 1328. Augusti 23. in Flandria apud Casletum subito circumfusus erat à Flandris Gallorum exercitus, Rex Galliarum Philippus Valesius in his angustijs Virgini se Divæ commendat, & subito ab ea tantum robur accepit, ut 20. millia Flandrorum ceciderit. Parisijs deinde Divæ equum cui infidebat, & arma dedicavit. *Ausb. Rovillard. in parthenia cap. 6. num. 20. Idem cap. 7. n. 5. testatur:* Londinum arcetè fuisse à Danis obsessum, per Divam liberatum. Sed *Meyerus in Annal. Flandriæ* memorat angustias Philippi Pulchri Gallorum Regis in conflictu ad Duacum anno 1304. Tam vehementer inventi erant Flandri in Gallos, ut ad Regem qui erat in ultima acie pervenerint, equum sub eo confoderint, saluti fuit illi, quia non agnitus à Flandris, substitutus illi alter equus; sed ita Rex fuit attonitus, ut nec equum regere potuerit, & hic quoque equus à Flandris vulneratus. Denique Rex coactus fugere ad castra, sed & eò, usque ad tentorium Regis Flandri pervenerunt, & cœnam diripuerunt. Tandem liberatus Rex ope Virginis & insuper victor evasit 36. millibus hostium caesis, cui deinde gratias Carnoti egit, & varia dona obtulit.

Harum rerum imago quondam erat *Exod. 14.* dum Pharao Israelem insequeretur, *Moyfes Virgam* extendendo, quæ *D. Ambrosio* ad Siric. Papam *S. Virginem* designat, submersit hostem. *Apoc. 4. Procedebant fulgura & tonitrua de throno,* nemini nocuerunt: quia propè erat mare vitreum Deipara scilicet, ut vult *Bonav. in spec. B. Virginis.* Refert *Hadr. Lyræus in trisagio Mariano lib. 1. Sono 31.* historiam hanc. Imminebat Mauritio Imperatori Chayanus Avarum Rex cum 200. millibus Scytharum, tam vincere doctus, quàm vinci insuetus. Trepidatum fuit totis castris Romanorum, cum ecce in aëre comparet nomen Mariæ aureis stellarum notis expressum, quo barbari perculsi, victi, fugatique.

Anno 1429. Carolus VII. Rex Gallorum nondum coronatus in eas ab Anglis angustias conjectus, ut ei ferè omnes munitiones ereptæ fuerint, ipse bis acie fusus, ecce puella pastoritia annorum 18. nomine Joanna Darcia Lotharinga dicit se Francis missam à Deo in subsidium, & examinata à Theologis vexillo sub quo erat ductura exercitum nomen Mariæ inscripsit, notum esse omnibus desiderans, cujus ope victoriam speraret, misit Kalend. Jun. ad Anglos Aureliam obsidentes ut abscederent, nolentes parere, aggressa, in ipso ardore pugne sagittâ vulnerata

vulnerata, neque pedem retulit, neque vulnus religari passa, quin acerrimè prælians, hastâ gladioque multos hostes prostravit, multas urbes recepit, Remos ad inaugurationem per medios hostes Regem deduxit, & res Gallorum restituit. Ita *Francorum hist. in Carolo VII.* Proinde meritò tota *Romana Ecclesia* veneratur illam ut Auxilium Christianorum.

Sed nolens volens hoc ipsum fatetur & ipse *Hennobergerus Prædicans Luthero-
tomus pag. 45.* Teutonici urgebant ad veritatem Dei Pruthenos, relapsi illi ab accepta fide, uno sæculo sexies, sub secunda ergo defectione anno 1257. Theodoricus Christburgensis Præfectus centum solum suorū assumpsit, fines idololatrarum perfidorum in Hoccherlandia ingreditur, cujus nunc caput est Elbinga, terrorem spargit, vastitatem majorem pro numero infert, sed dum præda ubere onustus regreditur, in grandem barbarorum exercitum incurrit: certandum erat, non jam de prædâ, sed de salute, necessitatem vertit in virtutem, animosè in hostem invecus, omnes in fugam vertit, plures demisit orco. Captivi ingenui falsi non tam se ab exercitu, quàm à Cœlesti Bellatrice prostratos, ipsius initio conflictus visam à se inclitam formâ Virginem, quæ Christianorum vexillum in aère explicuisset, & suos ita consternâisset, ut non nisi fugâ elabi sibi posse viderentur.

Breviter perstrinxit in una icone *Carolus Quirinus in Atlantis Mariani idea
pag. 102.* aliqua veterum victoriarum hac Duce trophæa. Nicopæa imago, id est victoriosa, quæ Venetijs in Ducali templo servatur, ea est per quam Iustinianus Vandalos, Iustinus Persas, Zemisces Bulgaros, Comenus Scythas, Narfes omnes hostes domuit. Et quidem de Iustiniano *Evagrius lib. 4.* scribit, quòd Virginis auspicijs, indomitas Gothorum, & Vandalorum vires domuit, flammamq; quam per Africam, & Italiam accenderant, extinxit. *Baron:* de Iustino 2. & Tiberio, quòd hujus auxilio immanes Persarum phalanges superârunt. *Idem tom. 8.* quòd Heraclius Cosroen ejus ductu debellârunt.

Audivi à dignis fide Ducem illum fortissimum Polonorum Chodkiewicz contra Osmanum ad Chotimum à B. Virgine obtinuisse victoriam, certum verò est ab eo imaginem ejus semper gestatam, sicuti certum quòd Carolus M. vix unquam visus in prælio vel in publico, quin aurei velleris loco iconculum Deiparæ ex collo deferret. *Maraccius in Cas. Mar. fol. 24.* Accidit quod sequitur anno 1363. Turcarum Duce Amurathe 80. millia Hungariam vastabant, & præ alijs ipsum Regem Ludovicum petebant, tanta celeritate, ut spatium non relinquere justo exercitui cogendo: steterè tamen tumultuariè Hungarorum viginti
millia

millia in armis, sed numerus adeo hosti impar, ut etiam Duces in lanienam, non in pugnam prodire assererent, ideoque cedendum hosti suaderent. Rex Divæ Virginis Cellensis implorat opem, & ejus iconem in mensa deponit, leni interim somno corripitur, in quo ei se Deipara visendam præbet, pugnam inecat imperat. Evigilat & in testimonium non futilis somni iconculam in pectore reperit: mox itum in hostem, & intra pauculas horas victoria parta est. Ita *Atlas Marianus lib. p. fol. 180.* Horridum illud accidit. Gainas Dux barbarus hæretica lue infectus, non oppugnaverat, sed intraverat cum exercitu Constantinopolim. Quid consilij captâ urbe? commendant se cives ad imaginem B. Virginis, quæ nunc in Italia dicta in Monte Virginis colitur, succedit negotium, hostis non tenet, sed tenetur, arma sumunt cives, ad internecionem cædunt. *Atlas idem lib. 2. fol. 80.*

Alterum *idem* contigisse *ibidem* refert. Barbari nescio qui sexcentarum navium classe urbi Constantinopolitanæ, non dubium minabantur excidium, sanctissimi Patriarchæ consilio solemnè pompa imago, de qua proximè dictum circumducta, & flevit ad civium solatium, post hæc grandis ignea in naves delapsa, omnes decem relictis absumpsit, odore piceo relicto. Iam è mari ad terram Penetraverant multas regiones Christianas, & cædibus & vinculis involuerant quinquaginta millia Tartarorum, nullus erat qui tantum torrentem stitisset, factum id anno 1347. pervenerunt tandem ad Divam VVartensem in Silesia, ibi occultâ quâdam vi illorum impetus venit ad metam, & in se redire ac regredi cepit, ut scribit *Balbinus in Diva Wartenf.* Imago quæ nunc in Claro monte, seu Czesstochovæ in Polonia colitur ab Helena Augusta Jerosolymis Constantinopolim translata, quam Nicephorus Imperator Carolo Magno, is autem Leonis Rufsie Principi dedit, tandem Rufsia in Provinciam Poloniæ redacta, Vladislaus Opoliensis Dux anno 1382. in Montem clarum dictum transtulit, hæc Constantinopoli dum esset, quia duos illustravit, viamque monstravit dicta Odigitria, ut habet *Canisius lib. 5. cap. 24. citatus in Atlante Mariano.* Hæc eadem imago jam in Rufsiam translata, in Castro Belz collocata, dum Scythæ Rufsiam inundant, atq; Belzium perveniunt, à Vladislao Duce Opoliensi justo præsidio infessum, contigit ut Scytharum quispiam icu incerto sagittam torqueret, in ipsum illud cubiculum, in quo ante S. Imaginem prostratus orabat Vladislaus, & sagitta quidem illæso supplice transijt, guttur tamen Virginis transfixit, Vladislaus dolore animi in hæc verba prorupit. Ecquid Diva tuam injuriam vindicas? dicit, & continuo Spississima nebula aram operit, ex qua visi sunt contra Scythas, staturâ, viribus, fulgore armorum, longè præstantissimi prodire heroes, indeque in hostes

erumperè, quo ostento barbari in fugam acti, quos tamen omnes insecutus cum suis Vladislaus vel trucidavit, vel captivos abduxit. Ita *hist. Claromontana*.

Nec illud multùm dissimile, quod de imagine Divæ quæ Czereæ in Lithuania colitur, ex Moschovia adducta *annales Moschovitici* referunt. Aliquot sæculis ante (cùm nimirum adhuc in unione cum Ecclesia Romana erant Moschi ante Schisma Græcum) Scythæ Rusiam vastabant, & Novogrodiam magnam, Moschovia ea est urbs, obsederant, re desperatâ Episcopus Græci ritûs curavit per Diaconum hanc imaginem (jam dudum miraculis claram) afferri ad urbis muros; sed eam loco movere Diaconus cum universo Clero nequivit: Episcopus nullo negotio exemtram loco hostibus pro muris opposuit, jam jam hostes ingressum per muros parabant, sed inspecta icone visum perdidêre, quos cives erumpentes gravissimâ clade affecerunt. Uti habet *Atlas Marianus lib. 2. fol. 202.* Jure verbis *S. Damasci Græca Eccles. orat in Men: 18. Jun:* Contra hostes gravi nos bello prementes, Virgo in aciem quæso descende, ferociter quippè tuam hæreditatem invadunt, ô interminatissima omnium Domina, barbarorum audacissimos spiritus manu tuâ perfunda, ut agnoscant potentiam tuam bellandî cupidæ gentes. Denique omnes omninò adversarios nostros solo nutu tuo in nihilum redige.

In idem recidit quod cecinit *S. Virgini S. Sabbas ibid. 2. Jul:* Per te ô Deipara tanquam Virtutem ex alto Reges Christiani accinguntur ad bellum. Sed ad historias Gothi. Arriani ad barbaros referri possunt, ex eorum servitute Italiam eripuit Narfes, sed consilio B. Virginis. Uti *Nicephorus testatur lib. 17. cap. 13.* Ignava Phocæ, Persæ Asiaticas Provincias usque ad Chalcedonem ceperant, Heraclius accepta imagine Virginis de manu Stephani Metropolitanæ Cyceni movit bellum in Cosroem Regem Persarum, vicit & Syriam, Ægyptum, Lybiam, Carthagenem recepit. Rei hujus *paulus Diaconus testis.*

Cedrenus in compendio quod sequitur narrat, & ex eo *Baronius.* Cùm adversus Cosroem Regem Persarum Heraclius Imperator cum exercitu processisset anno 626, Hunni occidentales quos Avars vocant, à Cosroe submissi, vacuam Cæsareæ Constantinopolim, terrâ marique aggrediuntur, & nil certius quàm urbis spolia expectant. Et ecce summo manè porta Blachernarum (templum id erat B. Virg.) Matronam insignem grandi comitatu urbe vident egredi, Heraclij uxorem barbari, petitem pacem prodeuntem crediderant, & transitum concesserant, invasuri multitudinem quæ sequeretur. Egressa Matrona urbis fossas, alio iterum verterat, insecuti barbari, & propè affecuti, sed illa ab oculis eorum evanuit, statim tanta eos inter confusio & strages orta, ut usque ad vesperam perseverarent. Sequenti

Sequenti die barbarorum Sabarus majori suorum parte per cædes mutuas obijisse cognita, & ipse cum reliquis regressus in naves, sed classem in Euxino mari tempestas oborta, ita afflixit, ut pauci ad suos redierint. *Baron: anno 738.* Constantinopolis trienni Saracenorum obsidione cincta, per Divam Virginem liberata, & duplex classis alia, ex Ægypto, alia ex Africa in prædam celsit. *Idem Scriptor* putat imaginem D. Virginis per muros urbis circumlatam. In residuos Saracenorum dum per Ægeum mare regrediuntur, grando ignea de cælo cecidit, & partim combussit, partim liquata pice naves hiantes merfit: ut ex omni numero Saracenorum decem solû redierint, quæ fortè est eadem historia, quam superius attulimus. *Cyropalates refert anno 867.* Saracenorum Principem literas plenas superbiæ & convitiij in D. Virginem ad Andream Basilij Imperatoris Ducem dedisse, hic eas Virginis imagini appendit, & hosti obviam progressus profligavit, Ducemque ipsum occidit.

At *S. Antonin. 2. p. tit. 16. cap. 2. sect. 5. refert.* Obsederant subito Carnorum Gallie urbem Pyrata, non erat in humanis subsidium: tota spes in D. Virgine; igitur Camisiam Virginis, quæ ibi devotè asservabatur pro muris exposuere, eam hostes ridere, & sagittis impetere, sed subito omnes cæcati, ac à civibus ad satiætatem cæsi. *Anno 878. Tempore s. Dominici* adjuvans Virgo Comitum Montis fortis contra Albingenses 150. lapidibus jactis eorum exercitum fugavit. *Anno 626. ut Baron: refert,* Heraclius duos ingentes exercitus hostiles in Persia delevit, D. Virgini arma Ducis appendit ut trophæum Auxiliatrici: quocirca Emanuel post devictam à se Pannoniam currui triumphali aureo imaginem Virginis imposuit, quam Cæsar & nobilissimi quique sequebantur. Similiter venerabatur Constantinus Palæologus recuperata Constantinopoli imaginem B. Virginis, qui coram ea primò procidit, deindè currui triumphali impositam pedes secutus. De Persis triumphavit pari modo Joannes Comenus.

Sed jam ab oriente ad occasum respiciamus, & legamus quod *Benecius in anal. anno 1585. refert.* Erant Lusitani ferè ducenti, habebant fæderatorû Æthiopum sub signis decem millia, contraria acies sexcenta millia numerabat, hæc tota quanta quanta incruentâ victoriâ est deleta. Prætor hujus expeditionis Lusitanus imaginem Virginis secum deferebat, & flexo genu venerabatur, ab eaque in pugna victoriam precabatur. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius Filius, semper in pectore iconem B. Virg. deterebant, & huic illas immensas victorias attribuebant. Nimirû hæc est illa Arca quæ Hierichonticos muros diruit, Azotios occidit, sed ut Arca victoriosa opus victoriosissimum statim subjungamus, de quo scribit

Balib.

Balth. Tellex in ebron: Lust: lib: 6. Paulus Diaz Novaes Lusitanus, cum trecentis
suorum adversus duodecies centena millia Angolarum die Purificationis B. Vir-
ginis progressus anno 1583, effuderunt imprimis ingentem vim sagittarum bar-
bari: sed omnes in eos redierunt, à quibus sunt missæ. Extracta est pugna
noctem, in qua dum nihil proficere advertunt, fugiunt, sed ita infelicitè, ut unam
altissimam voraginem se mutuo impellendo impleverint.

Processerat Alphonsus Rex Hispaniæ adversus plus quàm ducenta millia
Maurorum, sed cujus ope illa vicit indicat *Rodericus xi. Men. lib. 7. de rebus Hisp.*
Erat inquit in vexillo Regum imago B. Mariæ Virginis, in cujus adventu acies illi
mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hætenus satis immobilis permanebat, &
rebellis nostris obstiterat, cæsa gladijs, fugata lanceis, victa ictibus, terga dedit.
Cæsa manserunt in acie hostium millia 200. ex Hispanis viginti quinque desiderant
tantum: tanta autem apud hostes inventa hastarum, sagittarumque copia, ut per
biduum ad ignem castrorum eæ tantum adhiberentur. Dux erat hostium Mo-
chometes, cognomento Viridis, qui in Hispania Beticam occupaverat. Conflictus
hic accidit anno 1212. 16. Kal. Augusti in loco quem Navas Tolosæ vocant, in
Tolosana Ecclesia. Ferdinandus tertius Hisp. Rex, qui quatuor regna Mauris eripuit,
quatuor Christo dedit, de Betica planè triumphavit, semper imaginem B. Virginis
secum detulit, ut scribit *Pineda in relat. de S. Ferdin. parag. 8.* In multis bellis qua-
gessit Ferdin: Cortesius contra Indos, captivi Indi fatebantur se non potuisse co-
fendere, propter quandam fæminam, quæ pulverem in illorum oculos spargebat,
& propter quendam equitem, qui albo equo insidebat: id ab Hispanis creditum
de B. Virgine, erga quam mirificè afficiebatur Cortesius. Et de S. Jacobo Patrono
Hispanorum ex *Sandoval. parag. 23. & Gomara hist. Mexic: cap: 103.* Idem evenit
Ferdinando Pizano, qui cum 200. militibus Hispanis, à ducentis millibus Peru-
norum circumventus, per septemdecim dies continuavit aciem ingenti strage
hostium, apparebat Deipara Peruanis protegens Hispanos, nè ab ijs læderentur,
& Indos obcæcans, quasi injecto pulvere in oculos, visus quoque S. Jacobus equo
candido in vectus in barbaros, uti scripsit *Garcillanus in ea hist: Perua: tom: 2. lib: 2.
cap: 24.* Simile quid evenit cum Hispani arcem Acomam in Mexico oppugnave-
rent, quæ ob altitudinem inexpugnabilis erat, adeoque ridebant Indi Hispano-
norum tam paucorum conatus adeo audaces: sed capta est arx ope Virginis, quæ
viderunt Indi protegentem Hispanos, & S. Paulum cujus die Conversionis reser-
vabatur certantem, ideo Indi capti diligenter requirebant de illa formosa fæmina
na, & illo milite fortissimo. *See Villagra in hist. novi Mexici,*

Aliud confirmile refert *Spinell. de Deip. n. 53. Anno 1546. in orientali India* arcem Ducum Lusitanorum 40. mille Indi obsederant, tandè erumpentibus Lusitanis Dux hostium cæsus, cum non paucis suorum, & soluta obsidio. Hostium facebantur captivi, quòd tormenta sua bellica non potuerint succedere in pugna, & in arce apparuerit sedens mulier cælesti lumine radians, eorumque oculos excecans, ut nec possent in ordine ire, nec se conglobare. Cùm pugnaret contra Mahometanos Pelagius Correa magister, uti scribit *Pater Nieremberg. in triumpho Mariano S. Jacobi*, die quodam Deiparæ, & victoriæ dies deficeret; exclamavit ad Virginem. Sancta Muria detine tuum diem, stetit sol, donec plena victoria constitisset. Exiit gratus Pelagius Divæ templum sub titulo: *De S. Maria detenta in Dia*, & per contractionem: *De tu Dia*. Quod *Pineda memor. Ferd. 3. p. parag. 8. fol. 155. apud Nieremb.* cùm in recuperatione terræ sanctæ Ptolomaidam biennio Richardus Rex Angliæ oppugnando non posset capere, apparuit B. Virgo militibus palàm, dixitque nè amplius se fatigarent, venturam intra quatrimum in manus civitatem: interea tanto terrore à B. Virgine hostes percussi, ut spontè civitatem tradiderint. Hujus rei testis *Roger. de Hoveden in ann. Angliæ tom. 1. anno 1100.*

Simile quid accidit ad civitatem Truxillo seu Turrim Juliam in Hispania, dum esset in potestate Maurorum, & multis assultibus conati essent eam recuperare Hispani, sed labore irritò apparuit illis B. Virgo cum suo infantulo, ut tandem ascenderent muros, & civitatem quam tradebat acciperent. Cives grati in ipsis muris altare Virgini erexerunt, & in stemma Virginem Divam inter duas turres stantem assumpserunt. *Marians hist. Hisp. lib. 12. cap. 16. Quod sequitur in hist. Lerone cap. 6. parag. 1. refertur.* Dum à Mahometanis qui eam occupaverant hæc urbs recuperaretur, nec succedebat expugnatio: B. Virgo apparuit Sacerdoti, qui tum erat in Christianis castris, promittendo victoriam, & in signum dedit illi malum granatum. Visionem retulit sacerdos, & milites animavit: qui perripere statim muros, sed adhuc pugna anceps intra captos muros durabat, donec quidam miles Christianus sagittam emisisset in nomine Virginis de mala granato, hæc cor Mahometani Gubernatoris penetravit, & ex eo victoria plena Christianis evenit: erectum ibidem sacellum, hoc titulo. *Domine nostra de grano.* Ad Virginem referri debet anni 1571. victoria de Turcis, ad Echianadas, in qua hostium cæsa triginta millia, decem millia capta, trirèmes 130. abductæ, 90. mercæ, 15. millia Christianorum è servitute liberata, 116. majora tormenta, 256. minora erepta: hanc enim victoriam B. Virgini attribuit *Greg. XII. Huc referri*
Q & Ferd.

& Ferdinandi 2. ad Pragam de hæreticis anno 1620. in Boemia, ad Norlingam in Germania 1634. in quarum utraque imago B. Virginis præferebatur, cui antea illi ipsi hæretici oculos effoderant.

Sed rursus ad Lusitanos. Anno 1588. ut refert *Bencius* 400. Lusitani arcem barbarorum oppugnârunt, in qua erant decem millia hominum, tormenta bellica 900. & auxilio Virginis intra paucas horas ceperunt. Misit olim adversus Julianum Apostatam B. V. mota orationibus S. Basilij, S. Mercurium Martyrem, S. Theodorum Zemisæ Imperatori adversus barbaros; S. Lambertum in subdidium Leodij; & alios alijs. Sed affuit cum S. Joan. Baptista Rhodij, ut scribit *Philippus Bergomas ad ann. 1368.* dum Turcæ anno 1480. Rhodiorum moenia jam conscendissent, quæ juxta Scheurlum 1300. bombardis quatiebant. Vexilla protulerunt Christiani B. Virginis, ac S. Joannis Bapt. cum ardenti oratione: stans Virgo cum hasta & clypeo Turcis apparuit, adfuit & S. Joann. Bapt. & Turcas excurrentes ita teruerunt, ut fuerint coacti recedere.

Hinc Romani Pontifices ad Divam in periculo à Turca imminente confugere soliti. Sic *Leo X.* ingruente Selimo circumtulit imaginem Divæ templi præceptis anno 1518. & Selimus subito pestilenti cancro consumptus. Sic *Paulus III.* anno 1517. die 7. Julij, & anno 1543. supplicando Divæ, eundem hostem à cervicibus Christianorum avertit. Quod hoc modo insinuasse videtur Scriptura *Exod. 14.* Persequebatur Israelis populum Pharaos, sed ubi adfuit Vigilia marutina castra Ægyptiorum Dominus interfecit; quia scilicet tum Aurora oriebatur, quæ à *Bernardo serm. 33. in cantio.* Deiparam significat. Exhorruit Puer *Elifai 4. Reg. 6.* hostes; oravit Propheta, ut Dominus ostenderet quos in auxilium suum paravit: ostendit curru igneos, & equites, sed in Monte, qui *D. Gregor. in 1. Reg. 1.* exprimit Deiparam. *Josue* insecutus quinque Reges *Josue 10.* misit Dominus illi lapides in auxilium, sed de Cælo, quod *S. Cermano Constantinop. in Psal. 44.* est Deipara. *David 1. Reg. 17.* accepit quinque lapides quibus superavit Goliathum, sed illos ex Torrente tulit, qui figurat Virginem juxta *Richard. lib. 9.* Idem *David* dum fugit *Saulem Reg. 21.* venit ad Abimelech, & accepit gladium ab illo, sed ex *Tabernaculo* quod est Deiparæ umbra teste eodem *Richardo lib. 10.*

Huc etiam referri potest quod scribit *Desiderius Juller Canonicus Ecclesie Nancejane cap. 3.* & *Edmundus de Boulay, & alij* circa annum 1525. accidisse. Exarserat Germania hæresi; & jam Duce Thoma Muntzero millia armatorum sprevolabant, Clero, Ecclesijs, ac omnibus bonis exeidium, & vastitatem spargentia. Hauserat jam Sueviam calamitas, involuerat Alsatiam, Lotharingæ imminerebat.

nebat: cum Dux ejus Antonius, elegit Deo propitio fortunam experiri, quam incruentam hosti prædam relinquere, ac collecto raptim exercitu occurrit; interea Nancæi omnia personabant orationibus, ac contigit quampiam pauperculam mulierculam, ac mutam templo pro nocte casu concludi; tum & ipsa orans ab imagine Deiparæ clarissimam excipit vocem, quâ jubetur Ducissam accedere, & suo nomine denunciare, penes Ducem futuram victoriam, stupet paupercula, & modum obsequendi cogitat, & ecce etiam loquelâ donatur, accedit aulam, totum negotium exponit, fidem facile impetrat, quæ nunquam antea loquebatur; non multo post eventus B. Virginis beneficium approbavit, nam Lotharingicus exercitus hostiles copias fudit, triginta sex millibus in ipso loco deletis, cæteris magno numero captis, aut fugatis.

Sed ingratus fuero, si gratias S. Matris præteriëro, quas patriæ meæ Poloniæ illa exhibuit, præcipuè cum bellis tam domesticis, quam externis, tam servilibus, quam barbaris, tam hæreticorum, quam schismaticorum ab anno 1646. ad 1672. arderet, eas collegit in suis lyricis P. Michael Krasuski nostræ societatis. Leopoldis Russiæ urbs ac Metropolis, quod superaverit obsidionem, quâ illam Chmielnicius rebellium caput cum Regulo Tartarorum Tocaybejo presisit Divæ Virgini attribuit, coram cujus imagine ibidem in templo Armenorum unitorum cum votis suam salutem oravit. Eidem debet quod Moschos rejecerit, cujus imaginem in cæmeterio Ecclesiæ cathedralis coluit. Jo Casimirus ad Beresteckum suam victoriam de Tartaris, ac Cosacis S. Virgini tribuit. Cum Suecorum Rex Gustavus Adolph. Prusiam Regni Polonici Provinciam bello premeret, dum imago S. Virginis Cracoviæ in solemnî supplicatione circumferretur, pax stetit. Invocata Virgine S. quæ Lezaysci in imagine colitur Stephanus Czarnecius præcipuum robur militiæ Sueticæ ad villam Makovviska delet. Dum in civitate Premisliensi cives coram imagine Divæ orant, & Sueci ad eos invadendos per Sanum fluvium glacie concretum currunt, subito glacies rumpitur, & fluvius hostes absumit. Postquam Casimirus Rex concepit votum se Virgini consecrando, Forgell, Colonellus Sueticus absque nuncio cladis cum duobus suorum millibus à Polonis cæditur, alia pars Suecorum ad oppidum Varcam cæditur. Naves quæ Suecis in Poloniam ferebant suppetias, mari Balthico absorptæ. Arfuidus Vitembergus Suecus campi Marechalculus à lixis Polonici exercitus Varfaviæ capitur, Comes Kenigsmarck, item Suecus, in Gedanensi littore captus. Israel Sueticæ militiæ Præfectus in Prussia post deformatum exercitum venit in vincula. Prænotavit autem hæc S. Virgo dum fax extincta coram Casimiro spontè esset accensa.

Q 2

accensa.

accensa; inter gratias post victoriam Varensem, dum obsiderent Clarum montem seu Czenstochoviam Sueci cum suo Duce Millero, Praefectus ejus militaris, cum tractat cum Duce per latera jaculo ferreo manu ignota missio transverberatur, & ipsi Millero Virgo per somnium se dat conspicuam, ac terret, deinde militibus 40. se ex muris Clari montis ostendit, ac illos exanimat, ab ipsis hostibus, in ipsis turrium pinaculis conspicitur, telorum, globorumque tempestatem in eosdem retorquet & ut eorum fallat conatus, moenia loci jam in altissimas elevat nubes, jam in imas valles deprimit, alijs sclopos suos explodentibus manus arefacit, alijs ad manus facit accrescere.

Dum Cracovia esset à Suecis obsidione cincta anno 1649. Octob. 10. bellum cum tormentum igne rubeum contra castra Suecorum directum in aëre comparuit, dies is erat sacer Virgini ob victoriam Chotimensem. Quicumque in praelio Berestecensi imaginem B. Virginis Tuchovianis gestarunt, omnes incolumes redierunt. Cum ad eandem imaginem spoliandam Sueci noctu properarent, prodigiosa caligine abacti. Cum Grosnam oppugnarent Transylvani mini Ruisis rebellibus, civesque deprecarentur Virginem, hasta cruenta in ipso oppugnationis fervore apparuit, ac hostes terrefecit. Miles Sueticus cum impiè imaginem Virgineam Ravæ spoliat, vi occulta ab altari dejectur, atque animam exhalat. Cum Beccam quæ est civitas Poloniae in submontanis imago Jaslensis B. V. esset delata, eodem momento quatuor millia Transylvanorum ac Cosacorum ab oppugnatione loci quam parabant absterruit. Nobilitas Lancienensis in praelio Berestecensi se Divæ Virgini Luticensi commendavit, & nemo eorum desideratus. Ope invocata Virginis Bogusicensis Stephanus Czarnecius Transylvanicum exercitum partim cecidit, partim fugavit. Ducta & invocazione Beatae Bilscensis Chovvanski Dux Moschorum profligatus.

4. Beatam dicunt angustiari.

Quia est immensæ misericordiae.

Picardia Galliae Provincia id in Virgine deprædicat, dum eam *Exhilaratricem* seu *Dominam nostram gaudiorum* appellat. Tituli hujus origo talis, ut apud *Fornerum Bosius lib. 5. recenset cap. 22.* Anno 131. capti tres Rhodij equites S. Joannis fratres Galli à Soltano Ægypti, sollicitati ab ipso astu, carcere, minis; & ab ejus filia Ismeria blanditijs; ut à Christo ad Mahometem descirent, sed potius Ismeria